CATONIANAE POESIS

-G

5-6
XXXV 133

VIRO PRAESTANTISSVMO

IOANNI CLASSENO

PER QVINQVE LVSTRA

DOCTORI PHILOSOPHIAE CLARISSVMO

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA

GRATVLANTVR

GYMNASII MOENOFRANCOFVRTANI

CONLEGAE

DIE II MENSIS SEPTEMBRIS ANNI MDCCCLIIII.

INSVNT

CATONIANAE POESIS RELIQVIAE EX RECENSIONE ALFREDI FLECKEISENI.

LIPSIAE FORMIS DESCRIPSIT B. G. TEVBNERVS.

NOMINA CONLEGARVM GRATVLANTIVM HAEC SVNT

IOANNES WEISMANN
GVILELMVS LVDOV. SCHOLL
FRIDERICVS GVTERMANN
IOANNES DANIEL HECHTEL
ANTONIVS EBERZ
ALFREDVS FLECKEISEN
GVILELMVS HENR. SCHMIDT
GEORGIVS LVDOVICVS KRIEGK
IOANNES IOSEPHVS OPPEL
NICOLAVS AVGVSTVS ERNST.

ALFREDVS FLECKEISENVS

· S · P · D ·

IOANNI CLASSENO.

Nondum duo sunt menses, uir summe uenerabilis, cum ambo una eramus ad uada caerula Rheni qua Bonnam praeterfluunt, ut Friderico nostro Ritschelio, TVO olim sodali in societate Graeca Godofredi Hermanni, uigesumam quintam summorum in philosophia honorum acceptorum sollemnitatem anniuersariam congratularemur. Quo die mirum ni in animum TIBI reduxeris imaginem illius diei quo TV ipse ante

annos propc quinque et uiginti eosdem honores in ipsa illa uniuersitate alma matre Rhenana obtinuisti, et grata memoria recolueris eos praeceptores TVOS qui temporis istius interuallo ex uita emigrarunt, potissumum immortalem uirum Bartholdum Georgium Niebulrium quocum TV artioribus mutui amoris uinclis coniunctus eras quam quae plerumque inter discipulos uel pientissumos et magistros conligari solent. Nam quos praeceptores TVOS uiuos ut aiunt uidentesque reuisere TIBI contigit Fridericum Theophilum Welckerum et Christianum Augustum Brandisium, senem utrumque iuuenili uigore ac uiriditate, quos honoris causa nomino, hos uiros celeberrumos quo modo pietate TVA gratoque animo prosequerere ipse praesens uidi. Consulto autem ego per illos dies de instanti reditu eius sollemnis diei quo TV ante haec quinque lustra philosophiae doctor renuntiatus es non feci mentionem, quoniam animo praeuidebam fore ut ipsa ac uera, non quasi anticipata sollemnia coram TIBI gratulari liceret. En adest TIBI dies iste laetissumus quem ne silentio dissimulemus — nam non iam meo unius

nomine loquor sed simul optumorum conlegarum nostrorum qui hoc munus honorificentissumum mihi demandare uoluerunt ut quae ipsi sentirent oratione ego exprimerem — prohibent uerecundiae et amoris sensus quos erga TE in interiore animorum recessu fouemus sincerissumos. Annus nondum uertit ex quo TV, uir in paucis colende, propter famae TVAE splendorem a Lubecensibus huc uocatus urbis nostrae florentissumae gymnasio praeesse coepisti: quod temporis spatium quamuis sit breue, tamen tam eximie iam de hac schola promeruisti et animi ingeniique dotibus TVIS excellentissumis omnium amorem TIBI conciliasti ut non possimus non omnia bona fausta prospera ex intumo pectore TIBI precari. Hoc uero ardentissume omnes exoptamus ut eodem et animi et corporis uigore quo nunc gaudes praeditus diutissume nobis intersis et ut TVIS auspiciis hoc seminarium humanitatis ac doctrinae in quod omnes sociatis uiribus operas nostras conferimus, in dies magis magisque efflorescat. Quibus sanctissumis uotis quam comitem more maiorum subieci commentationem ex literis an-

tiquis petitam noli putare, uir dilectissume, de hac ita me iudicare quasi doctrinae TVAE copia qua praeter ceteros excellis digna sit: tamen hoc non frustra sperare uideor TE has nugas raptim conscribillatas perspecta mihi beniuolentia placidoque uultu esse excepturum. Vale.

Dabam Francofurti ad Moenum a. d. IIII Non. Sept. a. MDCCCLIIII.

Praeclara res et quae hominum philologorum, certe eorum qui in priscae Latinitatis monumentorum studiis uersantur, acriter in se conuertat animos ea est quam nuper Aemilius Kaercherus primus agnouit et commentatione Schneidewiniani Philologi uolumini VIII p. 727 ad 731 inserta persecutus est, M. Porcii Catonis librum qui inscriptus erat carmen de moribus, cuius reliquias quasdam seruauit A. Gellius noctium Atticarum libri XI capite II, non quod adhuc omnium consensu comprobatum est*) pedestri oratione sed quo libri inscriptio ducit uersibus conscriptum fuisse. Atque hanc quidem commentationem Kaercherus antequam in lucem daret ad praeceptorem suum atque amicum Augustum Boeckhium miserat eumque rogauerat ut inuenti illius in academia regia eruditorum Borussica mentionem faceret suasque si placeret adnotationes adiungeret. Nec defuit uir inlustrissumus precibus eius quem olim in auditorum numero habuerat: disputauit enim in consessu classis philosophicae et historicae a. d. XI Kal. Iunias huius anni habito de carmine Catonis (uide acta academiae mensis Maii p. 264 ad 282) et ita disputauit ut non solum multa rectius constitueret quam a Kaerchero

*) Poterat Kaercherus huius sententiae patronis nouissumum addere Ottonem Iahnum, qui in commentatione ceterum lectissuma actis societatis regiae eruditorum Saxonicae classis philologicae et historicae uol. II (anni 1850) inserta p. 268 haec ait: 'eine andere Schrift des Cato, sein *carmen de moribus*, nicht etwa ein Sittengedicht, sondern wie die Fragmente lehren, eine prosaische Schrift, *carmen* also in dem echt römischen Sinne von Spruch collectiv gefasst.'

factum erat et Catonianae poësis reliquiarum numerum augeret sed etiam fines rei proprie propositae euagatus elegantissumas quasdam obseruationes suas de arte metrica poëtarum scenicorum admisceret, quae cum non uno loco discrepent cum eis rationibus quae hodie ceteri uiri harum rerum periti amplectuntur, accuratissume perpendendae sunt atque examinandae. Sed haec tractare nunc non est in animo, qui hac lactissuma aliquid scribendi opportunitate oblata sic uti malim ut in ipsis frustulis Catonianis inmorer et quid de eis sentiam in medium proferam. Venit autem statim ubi commentationem Boeckhianam ab ipso auctore comiter ad me transmissam accepi — nescio ipse quo cogitationum nexu factum sit — uenit igitur mihi in mentem de L. Attii didascalicon libris ac de miris ambagibus per quas tandem effectum esset ut qua forma illi libri conscripti fuissent constaret. Is enim qui primus de his libris uia ac ratione quaesiuit Ioannes Nicolaus Maduicus prosa eos oratione scriptos fuisse adfirmauit opusculorum priorum p. 92, quod cum ipsa argumenti exemplorumque Graecorum ratione tum fragmentis quae aetatem tulerunt euinci. Sed aliquot annis post Godofredus Hermannus programmate uniuersitatis Lipsiensis d. XIX Decembris anni h. s. XLI edito uersibus eisquo septenariis trochaicis scriptos fuisse illos libros demonstrare conatus est et rem suam tam speciose egit ut cum multis aliis tum Friderico Ritschelio plane persuaderet: uide meletematum Plautinorum speciminis onomatologi (quod editum est X Kal. Aug. anni XLII) p. 3 siue parergon Plautinorum Terentianorumque uol. I p. 9. Ac tamen uirum illum inmortalis memoriae in hac re opinionem fefellisso mox ostendit alterum lumen literarum nostrarum ante hos tres annos et paene dimidium praematura morte extinctum, Carolus Lachmannus in prohoemio indicis scholarum Berolinensium hibernarum anni XLIX p. 5: Attii enim didascalicon libros non trochaicis sed

Sotadeis numeris conscriptos fuisse tam certa ratione euicit ut qui contra sentiat nouerim neminem: ex eis autem qui adsensum suum disertis uerbis professi sunt unum nomen satis est attulisse sed luculentissumi harum rerum arbitri, quem modo Hermannianae sententiae patronum dixi, Ritschelii: uide de fictilibus litteratis Latinorum antiquissimis quaestionum grammaticarum (quae editae sunt anno LIII) p. 12; praeterea cf. Martinum Hertzium meum in uindiciis nominum Plauti p. 9.

Ad Catonis carmen ut redeam, Boeckhius Kaercheri inuentum refutari non posse adfirmat, ipsum uero obstipuisse narrat quam multis uerborum transpositionibus opus fuerit ut uersus Kaercheriani euaderent: aliam igitur uersus restituendi uiam ingrediendam ratus hic ita rem tractauit ut Catonis librum multum in ludis publicis lectitatum et in usum discentis iuuentutis hic illic aut breuiatum aut interpolatum esse finxerit itaque non tam transponendo quam supplendo potius ac delendo uersibus pristinam integritatem reddere conatus sit. Quam uero opinionem Kaercherus de metri genere quod reliquiis Catoniani carminis reddendum esset anticipauerat, ut trochaicos septenarios esse simpliciter statueret, hanc falsam esse posse ne Boeckhius quidem suspicatus esse uidetur: et tamen ab hac demum quaestione diligenter ac religiose excussa restitutio singulorum uersuum proficisci debebat. Mihi autem, qui de eo quod caput causae est Catonis carmen uersibus conscriptum fuisse prorsus adsentiar, tamen non est dubium quin de metri genere cum Kaerchero Boeckhius errauerit: nam tam manifesta in fragmentis carminis illius insunt rhythmi Sotadei uestigia et tanto minore opera in Sotadeos pleraque redigi possunt ut hoc potius metri genere Catonem usum esse ueri sit simillumum. Itaque plane idem huic Catonis carmini de moribus accidit quod in Attianis didascalicon libris factum esse supra narrauimus, ut cum diutissume utrumque carmen pedestri

oratione scriptum esse existumatum sit, ei qui poëticae formae uestigia primi detexerunt de natura metri ita lapsi sint ut septenarios trochaicos deprehendere sibi uiderentur qui reapse uersus Sotadei essent. At una res inter utrumque casum cetera simillumum inter est eaque laetissuma: cum enim Lachmanno fati dira necessitate inpositum fuerit ut de eo quem in hac causa inpugnabat Hermanno hoc tantum dicere posset: 'scilicet ipsum hunc uirum candidissimum ac simplicissimum, si hodie uiueret, iudicem facere uellemus, ut is in sua causa sententiam diceret:' mihi, si fas est cum uiro incomparabili me componere, ad iudicium eius summi uiri quem contra sentio prouocare licet uiui ac uiridi uegetaque fruentis senectute, quae ut ei longissumum in aeuum extendatur ex animo precamur.

Priusquam autem Catoniani carminis reliquias emendatas mea quali cumque opera exhibeo, gratum non nemini philologo qui haec leget facturus uideor si ea quae Lachmannus de metri Sotadei apud Romanos usu ac natura docte et eleganter ut solebat exposuit hic repetenda curauero, praesertim cum illud prohoemium indicis scholarum Berolinensium cuius principio haec continentur suapte natura non multorum hominum in manus peruenerit et corpus opusculorum uiri illius desideratissumi, cuius curam nisi rumor fallit candidissumus defuncti familiaris Mauricius Hauptius in se suscepit, nondum sit editum. Haec igitur docuit Lachmannus quae infra scripsi.

"Mirifici illius carminum generis, quod a Sotade nomen habet, longe maius quam vulgo putatur apud Romanos studium fuisse vel inde intellegi potest quod Quintilianus (I, 8, 6) in puerorum institutione de Sotadeis ne praecipiendum quidem esse, nedum legenda carmina, expressis verbis praecepit, cum tamen ipse quidem (IX, 4, 90) eo artificio utatur, quo versus hexametri vel trimetri inverso vocabulorum ordine mutantur

in Sotadeos. atque idem Quintilianus, cum *ἔνρυθμον* esse dicit (IX, 4, 77) principium libri Sallustiani hoc, *Falso queritur de natura sua*, neque anapaesticum neque trochaicum numerum intellegit (nam ita debebat omitti *sua*), sed Ionicum: est enim ille Sotadeus in fine carens trochaeo, *Fálso queritúr de natúra sua.* neque aliud Diomedes sentit, qui et ipse *rhythmum* appellat (p. 464), non *versum;* quamquam licebat etiam dicere Sallustium Iugurtham a versu heroico coepisse, in cuius capitulo quinto haec sunt, *Bellum scripturus sum quod populus Romanus.* sed idem Diomedes non modo numeros Ionicos, sed ipsos versus Sotadeos in communi usu et vulgo cognitos fuisse etiam apertius testatur, ubi huius modi versus oratoribus excidisse scribit: hoc enim praeter quam in notis et usitatis culpare absurdum est. Diomedis verba ut Putschius scripta edidit, ita hic reddenda duximus. 'Adeo non desunt' inquit 'qui Ciceronem reprehendant, qui principio divisionis metrum Sodaticum fecerit, *Si quis vestrum, iudices, aut eorum qui adsunt. Etsi vereor iudices.* animadverte principia esse Sotadia.' in his duarum Ciceronis orationum principia sunt, divinationis alterum (quam librarii fecerunt *divisionem*), *Síquis vestrúm, iudices, áut eorum qui ádsunt*, alterum Milonianae, in quo Quintilianus (IX, 4, 74) ultimam versus partem inesse dicit, scilicet iambici vel trochaici, Diomedes, ut versum Sotadeum esse doceret, plura vocabula apponere debebat, *'Etsi vereór, iudices, né turpe sit pró for | tissimo viro*, qui tamen neque elegans versus est et malitiose electus, similis fere illi quem Diomede teste discimus eosdem correctores voluisse 'in actionis secundae libro I (§. 50) esse senarium, *Illa | vero éxpugnatió fani antiquíssimi.*'

Hoc igitur metro, cuius omnem rationem saeculo post Christum natum primo grammaticos et rhetoras perspectam habuisse ex iis quae diximus apparet, Petronius et Martialis postque eos Terentianus Maurus ita

usi sunt, ut ne minima quidem licentia admissa versus funderent expeditissimos. nam cum pedis *ἀπὸ μείζονος* Ionici figurae in hoc versuum genere undecim usu receptae sint, quas possumus brevissime notare hoc modo, ⏑⏑⏑⏑⏑⏑, ––⏑⏑, ––⏑⏑̄, ⏑⏑–⏑⏑̄, –⏑⏑̄–⏑ (his enim quinque insunt undecim, ––⏑⏑, ⏑–⏑⏑, –⏑⏑⏑, ⏑⏑⏑⏑, ———, ––⏑–, –⏑–⏑, ⏑⏑–⏑, –⏑––, ⏑⏑––, ———⏑), illi quos diximus poëtae ex his usi sunt non pluribus quattuor, quae sunt omnium simplicissimae, ––⏑⏑, ⏑–⏑⏑, –⏑⏑⏑, –⏑–⏑; nisi quod Terentianus semel versu 1545, ubi Paeonis quarti exemplum proferendum erat, ditrochaeum resolvere ausus est ita, ⏑⏑–⏑, *Pélopidae sonábunt*, utramque longam Petronius semel (23), ⏑⏑⏑⏑, *Fémoreque facili:* liberiores autem formas illas, quas oratoribus imputatas esse vidimus, a sua arte alienas esse iudicarunt."

His Lachmannianis pauca sunt quae addam. Ac primum quidem ubi uir doctissumus demonstrat in communi usu et uulgo cognitos fuisse uersus Sotadeos, admonere poterat uerborum quibus teste Festo p. 285, 12 retiarii a murmillonibus ludebantur: *nón te peto, piscem peto: quid me fugis Gálle?* quae Sotadeo uersu scripta esse primus animaduertit Augustus Meinekius philologicarum exercitationum in Athenaei deipnosophistas speciminis alterius p. 24*). Deinde id quod multo est gra-

*) Quod uerba illa paullo aliter ordinata Meinekius adfert casu non consilio factum esse arbitror. Ceterum quod idem ibidem p. 23 prouerbium illud quo guloues usos esse Macrobius narrat Saturnaliorum VII 12, 9: *mulsum quod probe temperes miscendum esse nouo Hymettio et uetulo Falerno* sic redegit in glyconicum metrum cum logaoedico uersu coniunctum:

mulsum quod probe temperes
miscendum nouo Hymettio
et uetulo Falerno

rectissume fecit uir praestantissumus, nisi quod uersu medio *miscendumst* potius esse scribendum uidetur: non recte fecit quod adiecit 'quamquam in primo uersu aliquid nitii relictum est': immo

uius, unam pedis ἀπὸ μείζονος Ionici figuram omisit Lachmannus, quam etsi suo iure omisit propterca quia Varro in saturis et Attius in Sotadicorum et didascalicon libris, quorum reliquias ex prisca Latinitate Lachmannus illo prohoemio tractauit solas, ea abstinuerunt (addo Ennium in Sota et in saturis, cuius uersiculis ac uersuum particulis Sotadeo metro conscriptis nuper criticam manum admouit Ioannes Vahlenus noster Enniannae poësis reliquiarum p. 164 sq. et p. 158 sq.), uel ut uerius dicam quod res est quia in paucis quae super sunt illorum librorum fragmentis non inuenitur, tamen tam consentanea est naturae pedis Ionici ut ubi in Sotadeis a libris scriptis defenditur nefas sit eam corrigendo tollere: dico hanc ⏑⏑–⏑–: nam quid tandem obstat quo minus hanc Ionici formam uicariam agnoscamus, cum non solum molossus ––– sed etiam haec figura ⏑–⏑⏑ nulli subiecta sit dubitationi? Neque illum choriambum non agnouit Hermannus elementorum doctrinae metricae p. 459: Cato autem eo usus est uersu 4 in secunda sede. Denique Lachmannus nihil dixit de ultimo pede uersus Sotadei, cuius arsim Latinos ut in plerisque uersibus qui in trochaeum exeunt non dubitasse soluere idem Hermannus ait l. l. p. 461, uerissume meo iudicio: illudque factum est a Catone uersibus 4. 15. 29.

---

rectissume hic uersus se habet: uou minus enim quam *bene* et *male* pyrrichium efficere, certe efficere posse apud antiquos poëtas *probe* aduerbium euicisse mihi uideor annalium philologicorum uol. LXI p. 43: uide modo hos uersus Plautinos, Poenuli V 5, 1 et Pseuduli 603 et 1274:

si égo minam non últus fuero próbe quam lenoni dedi:
iam pól ego aduenientem hunc stratioticum núntium probe percútiam:
enim éx discipulind, quippe ego qui Iónica probe perdidici:

quorum in medio et ultimo cur ab Ritschelii mei recensione ita discesserim ut anapaesticum illum, hunc iambicum facerem septenarium, alibi expouam, ubi ad hoc studiorum genus, quod ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ ut aiunt per aliquot annos intermisi, mox ut spero reuertero.

Restaret ut de carminis Catoniani specie qualem integrum praebuisse uideretur esset disserendum, nisi de hac re nobis otium faceret Ottonis Iahni sollertia qui ea commentatione quam supra attuli tanta quanta in huius modi rebus maxuma comparari potest probabilitate coniecturam suam persecutus est carmen de moribus partem effecisse eorum librorum Catonis qui a grammaticis aut 'praecepta ad filium' aut 'oratio ad filium' aut 'epistula ad filium' aut 'ad filium' aut 'libri quos scripsit ad filium' nominantur (quam coniecturam Boeckhius p. 280 calculo suo comprobauit) itemque summam argumenti quoad per fragminum exiguitatem licet prudenter et considerate adumbrauit. Cui uiro doctissumo poëticam horum librorum formam nondum agnitam fuisse iam supra narrauimus: sed ut illum hac in re falsum esse pro certo habemus, sic ego non ausim contrariam sententiam ita persequi ut totum opus uersibus conscriptum fuisse contendam: nam super sunt aliquot ex illis ad Marcum filium libris fragmenta quae nullis machinis neque in Sotadeum neque in ullum aliud metrum cogi probabiliter possint, uelut illa apud Plinium nat. hist. XXIX 1, 7 et apud Priscianum VI p. 718. Itaque mixtum quoddam genus uersuum et pedestris orationis fuisse probabile est quo Catonis libri ad filium conscripti erant, cuius generis non deesse constat alia in priscorum Romanorum literis exempla. Ego autem infra ea tantum fragmenta reliquiis carminis de moribus a Gellio seruatis addidi quae quasi sua sponte se adcommodarent normae metri Sotadei qualem supra duce potissumum Lachmanno constitui. Numeri lunulis inclusi sunt Boeckhiani.

M. PORCI CATONIS

RELIQVIAE METRI SOTADEI

I (2)

. auaritiam ómnia uitia habére deputábant:
súmptuosus cúpidus elegáns luxuriósus
ínritus quei habébatur, is cónlaudabátur.

I Gellius XI 2 'elegans homo non dicebatur cum laude, sed id fere uerbum ad aetatem M. Catonis nitii non landis fuit. est namque hoc animadnertere cum in quibusdam aliis tum in libro Catonis [haec nox deest in cod. Torn.] qui inscriptus est carmen de moribus. ex quo libro uerba haec sunt: auaritiam' e. q. s. 'ex quibus uerbis apparet elegantem dictum antiquitus non ab ingenii elegantia sed qui nimis lecto amoenoque cultu nictuque esset.' Nonius p. 465, 18 'elegantes [sic ubique Bamb. Leid. eligantes ceteri libri] non solum ut consuetudine ab elegantia ingenii aut cultus electione et dilectus plerumque dici potest, sed a ueteribus etiam uitio datur. M. Tullius . . . carmine de moribus: auaritiam

1 auaritiam *Paris.* auaritia *uel* auaricia *ceteri libri* *de mensura* ŏmnia *cf. Ritschelius proleg. in Trin. p. CXXXII sq.* deputabant *Boeckhius l. l. p. 267.* putabant *Gellius.* putant *Nonius* 2 suptuosus *Paris. Voss. mai.* cupidus *deleuit Boeckhius.* cuppes *Io. Fred. Gronouius, fortasse uere, cf. locos ab Lachmanno in Lucr. V 45 conlectos* elegans *Gellius, Bamb. Leid.* eligant *Wolfenbuttelanus.* eligans *ceteri libri Nonii* luxuriosus *Io. Fred. Gronouius.* uitiosus *cum Gellio Nonius.* uinosus *Meursius, deleuit Boeckhius* 3 inritusque *libri M. Hertzii omnes, in Voss. min. m. alt.* nel qui *superscr.* is laudabatur *libri.* ab iis *uel* is tum laudabatur *Boeckhius*

II (3. 4. 5)

Véstirier ín foro honesté mos crat, dómui
quód satis crat . . . . . .

* *
*
. . . equós cariu' quám coquos emébant.
* *
*
. poëticae ártis non crát honos: in eá re
quí studebat aút se ad conuíuia adplicábat,
grássator uocábatur . . . . . .

III (6)

. . . . nám uita humána prope uti férrum
est:
[férrum] si exérceas, contéritur [exercéndo],
sí non exérceas, intérficit robígo.

. . . uitiosus.' II Gellius XI 2 'praeterea ex eodem libro Catonis haec etiam sparsim et intercise commeminimus: nestiri, inquit, in foro' e. q. s. III Ibidem 'illa quoque ex eodem libro praeclarae ueritatis sententia est: nam uita, inquit, humana'

---

4 uestiri *Gellius* in phoro *Christ. m. pr.* in coro *Voss. min.* foris *Boeckhius p. 270* domi *Gellius* 5 *si correxeris* sat, *hic uersus cum sequenti in unum coniungi poterit* 6 carius *Gellius* quoquos *Christ. m. pr., Petau.* 7 poetice *Bern. Petau.* arti *Boeckhius p. 274* honos non erat *Gellius* in ea re qui] siqui* in ea re (s *erasa*) *Voss. min.* siquid in ea re *Christ.* siquis in ea re *ceteri libri, nisi quod Petau.* siquis *corr. ex* siquid se] sese *libri plerique.* si se *Sangerm. et cod. Scioppii* applicabat *Voss. mai. Petau.* applicat *Bern.* 9 grassator *Magliab.* crassator *in* grassator *corr. Christ.* crassator *ceteri libri* grassatores uocitabantur *Boeckhius* 10 *nescio an praestet* humanast prope ut ferrum 11 ferrum si *editiones ueteres Gellii.* si, *om.* ferrum, *libri.* ferrum siue *Boeckhius p. 276* exercendo *addidit Henricus Keilius, om. libri* 12 seu *Boeckhius* interficit robigo *H. Keilius.* tamen rubigo interficit *libri, nisi quod* robigo *Bern.*

ítem homines exércendo cónteri uidémus:
sí nihil exérceas, inértia ac torpédo
plús detriménti facit [eís] quam exercítio.

IV (8)

. . . emás non quod opúst sed quod necéssest.

* * *

Quód non opus ést asse carum ést . . . . .

V (7)

. . . . . ílle induperátor:
tu ílli [et] ceterís [dis] mediástrinus . . .

VI

. . . . . orátor
ést, Marce filí, uir bonu' dícendi perítus.

e. q. s. IV L. Seneca epist. XV 2 (94), 27 'ipsa quae praecipiuntur per se multum habeut ponderis ntique si aut carmini intexta snnt aut prosa oratioue iu sententiam coartata, sicut illa Catoniana: emas' e. q. s. V Nonius p. 143, 8 'mediastriuos non balnearum sed miuistros et curatores aedium legimus. Lucilius lib. XVII: uilicum Aristocratem mediastrinum atque bubulcum. Cato in praeceptis ad filium: illi' e. q. s. VI M. Seneca controu. I praef. p. 62 ed. Bip. 'erratis, optimi iuueues, uisi illam uocem uou M. Catonis sed oraculi creditis. quid enim est oraculum? uempe uoluntas diuina hominis ore enuntiata. et quem tau-

13 homines se* exercendo *cum litura unius literae Voss. min.* homines in exercendo *Christ.* uidemus conteri *libri* 14 ac *Kaercherus.* atque *libri* 15 eis *om. libri, quo carere licet si scripseris* quamde exercitium *Sangerm. et cod. Scioppii.* exercitatio *Magliab. m. alt.* 16 opus est . . . necesse est *libri* *Inter v.* 16 *et* 17 *aliqua excidisse uidit Boeckhius p. 282* 18 ille *Forcellinus nescio unde, Boeckhius p. 280.* illi *libri* inperator *libri* 19 illi ac ceteris *Forcellinus.* illi disque ceteris *Boeckhius.* ille ceteris, *om.* dis, *libri* mediastrinus *cd. 1526.* mediastrinum *libri* 21 bonus *Seneca*

VII

. . . . . rem tené, uerba sequéntur.

VIII

. . . . . [colónus,]
Márce fili, uír bonust coléndi [agri] perítus,
cuíus ferraménta splendent . . . . . .

IX

. . lepu' múltum somni ádfert qui edit íllum.

X

. . . . . senili' iuuénta

dem antistitem sanctiorem iunenire sihi diuinitas potuit quam Catonem, per qnem humano generi non praeciperet sed connitium faceret? ille ergo nir qùid ait? orator est' e. q. s. Quintilianus inst. orat. XII 1 init. 'sit ergo nobis orator qnem constitnimns is qni a M. Catone finitur nir bonns dicendi peritus.' Plinius epist. IV 7, 5 'itaqne Herennins Senecio mirifice Catonis illnd de oratore in hunc e contrario uertit: orator est nir malns dicendi imperitns.' VII Iulius Victor artis rhetoricae c. 1 p. 5 ed. Mai. 197 ed. Orell. 'scire antem est rem de qna dicturus sis uninersam ante pernoscere: in hanc rem constat etiam Catonis praeceptnm paene dininnm qni ait: rem t. n. s.' VIII Seruins in Verg. georg. I 46 'ATTRITVS SPLENDESCERE VOMER. qnod enenire freqnenti aratione nonimns, ut et splendidior fiat et teratnr. Cato in oratione [de aratione snspicatnr Otto Iahnus l. l. p. 265] ad filinm: uir bonns' e. q. s. IX Diomedes I p. 358 ed. Pntsch. 'adnotanimus tamen neteres sic declinasse: edo edis edit. Cato ad filinm uel de oratore [?]: lepns' e. q. s. Plinius nat. hist. XXVIII 19, 79 'somnos fieri lepore sumpto in cihis Cato arbitratur.' X Plinius nat. hist. VII 51, 52 'cnm

---

23 colonus *om. Seruius, sed uoculam illius notionis excidisse uidit Otto Iahnus l. l.: cf. Cato de re rust. praef. § 2* 'uirum bonum cum laudabant, ita laudabant: bonum agricolam bonumque colonum' 24 uir bonus est M. fili *Seruius* agri *om. idem* 25 uomendo terram *addunt excerpta Lindenbrogiana, quod ineptum esse glossema adparet* 26 lepus *Diomedes* illum edit *idem* 27 *sq. orationem obliquam in rectam*

praématuraé morti' signúmst . . . . .

XI (1)

. . . . dúm se intempésta nox praecípitat.

innumerabilia sint mortis signa, salutis securitatisque nulla sunt, quippe cum censorius Cato ad filium de validis quoque observationem ut ex oraculo aliquo prodiderit senilem iuuentam praematurae mortis esse signum.' XI M. Aurelius Caesar ad Frontonem epist. p. 49 ed. Nieb. 54 ed. Mai. Rom. 'at enim ubi sol latum ad oceanum profectus, fit demum caelum modestius, quod genus Tiburtinum. id uespera et concubia nocte, dum se intempesta nox, ut ait M. Porcius, praecipitat, eodem modo persenerat.'

---

mutaui et rhythmum Sotadeum restitui 29 *si ludere uelis initio uersus suppleas* de caelo *malim* dum intempesta nox praecipitát se.

HAG
813,358



Digitized by Google